



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fasti Mariani

Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Theodora Poenitens. 11. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

11. Sept.

fram impendimus, quàm illi à quo accipimus? cui  
 si in hoc seculo militauerimus, tunc ad ipsum tran-  
 sire merebimur. S. Paulin. ep. 39.

S. THEODORA POENITENS.

11. Septembris.

Vtrum an feminam spectâsse te, lector autu-  
 mas? utrumque, si mihi credis. Nam femina  
 puto, fuit THEODORA, cum lapsa est, vir, cum sur-  
 rexit. Id te vita docebit. Tenebat illa matronas  
 inter Alexandria principem locum. Sed ex hoc le-  
 na eademque venefica turpiter deiecit, cum quæ  
 Sol occidens non spectat scelera impunè perpe-  
 trari suasit, itaque adulterium persuasit: ac si unum  
 solummodo cælum oculum haberet & mediâ  
 etiam in nocte Argus non esset. Vidit ipsa THEO-  
 DORA crimen, cum primùm lux animo oborta  
 est, & quò ruborem absconderet, cœnobio se  
 abdidit, utque viros effugeret, inter viros virum  
 se venditavit. Et jam lacrymas quibus, facinus  
 piabat, vel Crocodilus probaverat, dum dorso  
 innoxiam per fluctus tulit; jam silvæ, per quas  
 invidi monachi intempestâ nocte miserant à feris  
 devorandam, vitum & ipsæ crediderant; cum lo-  
 co pellere demon malus aggressus, non quidem  
 vinum negavit THEODORAM, sed tamen infamis  
 mulierculæ operâ patrem mentitus est. Poterat se  
 ipsam absolvere THEODORA sexum fatendo, sed  
 maluit suum sub alieno scelere scelus luere. Itaque  
 pulsa cum infante septem ipsos annos propter Mo-  
 tallerii fores jacuit cæli hominumque injuriis ex-  
 posita. Denique cætera miracula, & morientis  
 apud cælites gloria Cœnobiarchæ ostensa, addu-  
 cuntque eodem temporis articulo maritus, mors  
 ipsa

ipsa denique palam orbi fecerunt feminam fuisse  
THEODORAM, sed quam viri imitarentur, &  
*Metaphrast.*

*Meliora mihi amici vulnera, qua Christus acci-  
pit ut sanaret me, quam voluntaria inimici oscula,  
quibus mihi peri illecebras delectationū caro male-  
suada blanditur, ut quasi parricidiali Iuda osculo  
paratis in captivitatem meam prodat inimicus.*  
Paulin. ep. 2.

S. GVIDO CONF. 12. Septembris.

**E**TIAM GVIDONEM humill genere natum ad  
astra virtus evexit, tutissima eorum scala, qui  
generosi humi obrepere detrectant. Naralem ter-  
ram Brabantia dedit. Puer non prius animo hilaris  
esse unquam potuit, quam aut preces Deo, aut  
egeno stipem dedisset, quam ubi non habuit, ipse  
scilicet coegit, mendicorum mendicabulum.  
Adolescens VIRGINIS templo operam suam ad-  
ditimus addidit, gnarus celi portam esse, quam cu-  
raret. A tam sancto munere cum à mercatore per-  
suasus mare conscendisset, & ventos & Superos  
adversos sensit, quin remo manum tandem exi-  
mere non potuit, quousque hanc redux VIRGI-  
NIS ARE supplicem tetendit, manifesto in huius  
transfugas exemplo. Sanctius postmodum iter  
instituit, cum Romam & Hierosolymas alioque  
Christianis vestigiis nobiles locos petiit, septem-  
que ipsos annos talem se, quales omnes sumus,  
peregrinum vendidit. Hinc cum fesso DEVS quie-  
tem donare veller, in lectulum dejecit, Hoc cum  
ager Anderlaci decumberet, columba è celo  
multo lumine corusca advolavit, simul vox audita  
est, quæ ad coronam dilectum invitavit. Enimvero  
lubens paruit. Orbescilicet pererrato, restabat